

quingenta marcas solveret ecclesie Puzaugensi. Cum itaque marchio sepe dictus per fideiussores idoneos cavisset abbati de pecunia persolvenda, abbas pro se et ecclesia sua presentibus quibusdam de suis fratribus in conspectu multorum adstantium iuri, si quid<sup>e</sup>) habebat in bonis prenomatis, renunciando ecclesiam Ostirweine<sup>d</sup>) in nostris manibus resignavit, conferens marchio ius, quod habebat in illa. Marchio vero eandem parochiam 5 et ecclesiam in Zwickowe contulit conventui sanctimonialium, quem de Triptes ob nimiam paupertatem, quam patiebantur ibidem, transtulit in Zwickowe etc. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XII., v. idus maii, proximo die post diem Servatii episcopi.

## 167.

*Otto IV. schreibt dem Patriarchen Wolfger von Aquileja, daß er gegen den Landgrafen von Thüringen 10 im Felde sei, seine Vermählung mit Beatrix am Sonntag vor Jacobi (Juli 22) vollzogen habe, die Einnahme von Weißensee in Aussicht stehe u. a.* [Vor] Weißensee, 1212 Juli 30.

*Gedr.: Böhmer, Acta imperii 1,231 (nach Rubeis, Mon. ecclesiae Aquileiensis 659). Böhmer-Ficker 485.*

Dei gratia Otto etc. W[olfgero] viro honorabili et amico et patri reverentissimo patriarche Aquileiensi gratiam suam et bonam voluntatem. Multo affectui et sollicitudini 15 tue, quam circa nos habuisti et habes, sicut nec potuimus nec possumus condigne respondere, te tamen sicut nosmet ipsos in omni bono et prosperitate semper consistere affectamus. Dies tuos in pace optamus prolongari et in omni felicitate et gaudio te eisdem consummare semper optabimus, sicut debemus, cum desiderio sitienti, quia nihil aliud te velle vel desiderare veraciter agnoscimus, nisi bonum nostrum et ea, que pacis 20 sunt et que ad nostrum et imperii omnimodis conducunt honorem. Unde cum status noster, quem semper in bona felicitate prosperari desideras, bonus sit, cum tibi exponere volentes, significamus, quod sani sumus et incolumes per gratiam dei, a quo omne bonum recognoscimus et quod super lantgravium proditorem nostrum cum exercitu nostro magno et forti potenter consistimus et terram eius et castra vastavimus et incessanter vastamus, 25 sicut nuntius tuus poterit tibi intimare et non tam eum quam alios ita sue machinationis fecimus et faciemus penitere, quod modo in sua presumptione frustrati de cetero nihil talium contra nos audebunt attentare. Insuper quoque tue voluntati ac consilio satisfacientes, significamus tibi, quod matrimonium omnibus fidelibus et amicis nostris diu desideratum cum carissima coniuge nostra Beatrice die dominica ante festum beati Iacobi 30 feliciter et sollempniter consummavimus. Quod tue voluntati tanto affectuosius esse recognoscimus, quanto magis nobis ac benevolis nostris non dubitamus profuturum. Cum itaque te tamquam dimidium anime nostre diligamus et plenam in te, sicut debemus, habeamus confidentiam, quam in omni necessitate rerum experimento semper didicimus fidelissimam, rogamus dilectionem tuam, ut in eo, quo cepisti, fidelitatis proposito circa 35 nos semper perseveres<sup>a</sup>), sicut utique te perseverare non dubitamus. Et nos et omnia

166. e) quod B.

167. a) perseverare Druck.